

DEO FAVENTE,

Ex

DECRETO NOBILISSIMI AC
AMPLISSIMI COLLEGII JURIDICI
IN FLORENTISSIMA ACADEMIA
JENENSI,

DISPUTATIONEM
INAUGURALEM

ad paragraph. prim. leg. 8. C. de

QUÆSTIONIBUS,

Præsidente

Virō Magnifico, Amplissimo ac Consultissimo

DN. ORTOLPHO FOMANNO,

J. U. D. Juridicæ Facultatis P. publico,

Ordinario, & p. t. Decano Spectatissimo, nec

non Judicii Provincialis & Scabinatus ibidem.

Assessore meritissimo, Promotore & Præceptore

suo colendissimo

Pro consequenda LICENTIA, ritè assumendi Insignia

ac Privilegia ULTRIUSQUE JURIS DOCTURÆ in

Jureconsultorum auditorio propositurus est

ELIAS AUGUSTINUS Gueffler/

Francohusanus Thyrig.

ad diem proximum Jovis, qu. est 22. Decemb.

JENÆ

Typis JOHANNIS BEITHMANNI,

ANNO M. DC. XXV.

1625, 1

M 18

6.



DISPUTATIO INAUGURALIS

Juridica, ad Legis octavæ paragraph.

primum C. de Quæstionib.

PRÆLOQUIUM.



Magistratum, si Rempublicam in procuratione illorum, quæ de omnium civium usu sunt, fideliter administrat, id est, si oculos ad salutem & Reip. utilitatem intendit, ut subditorum quisque sub sua vite tutò & securè possit vivere; Deinde si justè judicat jurisdictionemque moderatè exercet, valdè condecorari, neminem Politicorum esse arbitror, qui neget: Præsertim in exercenda jurisdictione sapienter facit, si Constantiam, Severitatem & Lenitatem observat. I. Constantiam eò, ne immaturè innovando quid, multa corruere faciat; nam ii tutissimè agunt, qui præsentibus moribus legibusque, Remp. administrant; II. Severitatem ita, ne ea transeat in rigorem. Aliàs ob nimiam dominorum in subditos sævitiam jurisdicção facilè vel amittitur, *arg. §. dominorum. 1. de his qui su. su. vel alien. jur. Bart. ad l. 2. ff. d. t. Geil. observat. 17. lib. 1. n. 2.* vel plerumque suum cuique non tribuitur; III. Pro re nata etiam Lenitatem ab oculos habeat Magistratus, propterea, quod qui benignitate ac clementia imperium temperaverunt his candida ac læta omnia, etiam hostes æquiores, quam illis cives esse solent, ut *Salust ad Casarem dixit*; ita tamen ne sub specie levitatis omnis generis delicta ac crimina impunita relinquuntur, cæteroquin

Resp. statim penitura foret. Unde inquit Jctus Gajus in *l. si à reo §. fin. de fidejuss.* poenas ob maleficia solvi, magna suadet ratio: omnia tamen cum modamine, sive proportione. Interdum enim severitatem interdum lenitatem exercere præstat; Et certè in quæstionum materia hæc etiam verissima sunt, nam uti non in qualibet causa, ita quoque non in qualibet persona, secundum eundem modum quæstio instituenda est, *l. 8. ff. b. t.* Quædam durius & severius, quædam lenius & remissius quæruntur, *l. quæstionis 21. §. l. de minore. 10. ff. eod.* Pii ergo Magistratus & judicis erit, potius erga patientem commiseratione moveri, prudenterque canitiem, senectutem, juventutem virile robur, valetudinem tum validam, tum imbecillam expendere, *Dambud. in prax. Crimin. c. 37. n. 3.* ita ut habita ratione conditionis personæ, & lenius & severius quæstio instituatur, jurisdictio exerceatur: Non enim sicuti quidam, teste *Hering. de fidej. c. 10. n. 484.* sibi persuasum habent. paria sunt, hominem torquere & pila ludere, sed est res magni admodum præjudicii, quæ etiam interdum fallit, uti animadverterunt *Gödelm. 3. de Mag. §. Venef. c. 10. n. 4. §. seq. Gilb. arb. jud. Crim. c. 6. p. 7. n. 7. §. 8.* Cum itaque non modo hiscè in rebus judicare jurisdictionemque exercere periculosum sit, sed & insuper frequentes incidant perplexi casus, non abs re esse duxi, si quædam dictante Legis octavæ paragrapho primo C. de Quæstionib. conscriberem, proque more publico examini exponerem, hoc ut prosperè procedat, DEUS O. & M. faxit.

THE-

THESIS I.

Disserere jam Cupienti de Quæstionibus maxime vocabuli æquivocatio extricanda obvenit, ne ob varietatem sensus, magis se confusio ni intricet, proque veris causa admittat: Breviter ergo asseritur, vocabulum quæstionis triplicem recipere significatum, nimirum, 1. Dubitationem ex jure & facto orientem. 2. Publicum judicium. 3. Inquisitionem veritatis, vel interrogationem de crimine per tormenta & corporis dolorem, *l. item apud Lab. 14. §. questionem. 41. de injur. junctâ l. 1. §. questionem. ad Syll. & t. t. ff. & C. h. t. de qq. Salicet. ad Rub. eod. Menoch. arb. jud. qq. lib. 2. cent. 3. c. 270. n. 1. Ampliss. & Jctiss. Dn. Pet. Theod. Promotor ac Præceptor æternum colendus, in Colleg. Crim. disp. 9. §. 9. Bocet. de tort. & qq. c. 1. n. 1. quorum ultimus significatus hic attingitur.*

2. Definitur Quæstio, per Interrogationem vel de Crimine commisso vel causa pecuniaria dubia, corporis tormentis, ad eruendam veritatem, legitimè à judice institutam; quam definitionem quoque tradit *Dn. Theod. alleg. loc. &* præterquam quod genere & differentia constat, optimè nostræ legis parag. applicata perhibetur, Cujus verba hæc sunt: Oportet autem judices nec in his Criminib. quæ publicorum judiciorum sunt ad vestigationem veritatis à tormentis initium sumere, sed argumentis primum, verisimilibus probabilibusque uti. Et si his veluti certis indiciis ducti investigandæ veritatis gratia ad tormenta putaverint esse veniendum, tunc id demum facere debebunt, si personarum conditio patiatur; Hac enim ratione universi, &c.

3. Sicuti ex verbis præmissis constat, ad quæstionem (1) circa delicta occupatam, (2) nisi ex certis indiciis profiliendum, ac (3) conditionem personarum observandam esse, ita & tradita definitio hæc omnia continet.

4. Primum, parag. nostri membrum concernit quæstionis Occupatam; Quod versatur circa delicta quorum

quædam sunt publica, quædam privata, horum verò
quædam atrocia, quædam levia, puniunturque
vel ordinariè vel extraordinariè, *vid. Mynsing. ad rub. 2.
de Obligationib. que ex delict. nasc.* In delictis, quæ levia sunt,
judici non fas est ad quæstionem proficere, sed in atrocibus &
criminaliter vindicandis duntaxat, *l. 1. in princ. l. edictum. 8. ff.
D. t. hoc est in ejusmodi delictis ubi non pœna corporalis im-
ponenda venit, sed tantum pecuniaria vel alia levis pœna, ad
torturam via non patet, ne contra auct. peregrini. C. Commun.
de Success. ibiq. Bald. maior sit tortura quàm pœna pro delicto,
Hyppolit. de Marfil. in pract. criminal. 5. expedita. n. 58. Me-
noch. arbit. jud. qq. lib. 2. cent. 3. cas. 1, 3. n. 1. Damhoud. in
prax. Crim. c. 35. n. 4. Welemb. π. hęc. n. 5. Siquidem tor-
tura vel quæstio est, interrogatio vel veritatis indagatio per
tormenta corporis que dolorem, *l. apud Labon. 15. §. 41. de
injur.* Azo in Sum. C. h. t. n. 1. Gomez 3. resolut. c. 13. n. 2 &
durior, quam utriusque manus abscissio, Emeric. à Rosbach.
in process. Crim. c. 10. n. 14. Bocer. de tort. c. 2. n. 19. Qua-
propter ubi ictus fustium in libero homine, vel relegatio, tan-
quam pœna crimen sequitur, torturæ locus non est, Bocer.
allegat. loc. n. 2. & 8. quia ejusmodi pœnarum genera, non
atrocia delicta præsupponunt. *Dissent. Griland. de qq. quest. 7. n. 7.**

5. Ubi verò pœna capitalis vel similis infligitur, non modo
publicorū, sed etiam extraordinariorū, criminū, per torturā &
quæstionē investigatio nō prohibetur *innuente nostro paragr.
prim. d. l. 8.* & quamvis hæc crimina, legibus non definitam
habeant pœnam, sed tantum qualem iudex pro arbitrio extra
ordinē decernit, *l. 1. ff. de extradord. Crim* proptereaq; ab initio,
utrum levia, an verò atrocia sint, constare non possit, attam-
en nihilominus, quia horum criminum quibusdam quo-
que lege definita pœna est, quibusdam verò consuetudine,
(licet pauca lexcipiantur,) iudex præscriptum habet
modum *l. fin. de injur. & l. 10. in pr. de pœn. Bocer. de tort. & qq.
c. 2. n. 9.* & quando tale crimen in iudicium deducitur, de
ejus atrocitate & levitate, & per consequens an quæstio lo-
cum habeat, judicare potest. Sic ob crimen stellionatus quod
quis quæstioni subjici possit non dubitaverim, quamvis sic

ex-



extraordinarium, etenim Rei ex hoc crimine in opus metalli
damnari, si plebei sint, in honore verò positi ad tempus rele-
gari vel ab ordine removeri solent, *l. 3. §. 2. ff. Stell.* quemad-
modum & reus criminis improbi fœnoris, etenim crimen
appellatur, *c. quia. 3. c. tua nos. 9. de usur.* quia autem ordina-
rium non est utique extraordinarium erit, *Menoch. arb. jud. qq. lib. 2. cent. 4. cas. 398. num. 16. 17. 18. usq. ad 24.*
Molin. de usur. Ampliff. ac Jureconsultiff. Dn. Theod. in Coll. Crim. disp. 9. §. 8. lit. f. Si igitur extraordinarium, ad
aliud, quam stellionatus crimen referri nequit, *arg. l. 3. §. 1. de Stell. Crim.* cujus pœna ut modo dictum, implebejis opus me-
talli perhibetur *d. l. 3. §. 2. d. l. Dissent. Ang. in disp. Astens. Miles. col. 3. ex parte Marant. Spec. aur. p. 6. de inquis. n. 127.*

6. Occupatur quoque quæstio circa causas pecunia-
rias, non quaslibet quidem, sed dubias atque arduas, ejusmo-
enim causæ criminalibus equiparari solent. *quomodo post Bald. in l. parentes. C. de test. Petrum de Ancha in Consil. 57. §. ra-
tiones inductæ, deducit Hyppolit. de Marfil in tract. Crim. §. ex-
pedita. n. 60.* aliàs regulariter in reliquis causis pecuniariis ad
torturam sive quæstionem non devenitur, propter supra alle-
gatam rationem, qua pœna haud major debeat esse delicto, *Menoch. arb. jud. qq. lib. 2. cent. 3. cas. 306. n. 1.* finis autem
quæstionis non est, ut corpus vel in totum enecetur, vel su-
pra modum puniatur, quod in levibus criminibus hoc modo
cōtingere facile est, quādoquidē corp⁹ lacerat quæstio, ipsaq⁹
morte durior, *Paris de Pute de Syndic. verb. tortura. n. 1.* sed ut
veritas eliciatur vel exprimatur, quare absurdum foret pro-
bationes criminis quærere & decernere ipsâ pœna crimini in-
ferenda, graviores, *Wesemb. n. l. in fin. n. 5.*

7. Et quia mercatores falliti, vulgò **die Bancrottier**
rer/oder Banckerottspieler / qui quibusvis optimis merca-
toribus patriæ quasi parentibus alumnis, callida nocturnaq⁹
fuga aliquò profugientes, omne debitum ipsis creditum er-
piunt auferuntque *Damboud. in prax. crim. c. 106. n. 17.* & chi-
rographa & rationes creditoribus denegant, parùm abest,
quin vel in publicum crimen falsi incidant, *per l. 1. §. 4. l. 16. §.*
ad L. Corn. de Fals. vel in crimen stellionatus *arg. l. 3. §. 2. ff.*
stel.

*stellion. propterea q; quia hæc crimina atrociora, rectè quæstioni
subjiciuntur, l. 8. ff. b. t. Par. de put. de Syndicat. verb. tortura,
n. 2. Emeric. à Rosb. in tract. Crim. c. 5. n. 1. Ampliss. Dn.
Theod. in Colleg. Crim. disp. 9. §. 9. lit. j. Bocer. de tort. §. 99.
c. 2. n. 21.*

8. Hæc sufficiant de occupato & primo nostri textus
membro, modo hoc sciamus, quamvis quidem tale sit deli-
ctum propter quod ad quæstionem peruenire iudici licet: ta-
men prius ut de corpore delicti constet, necesse est, id est, cer-
tum esse debet, quod crimen sit commissum, aliàs frustra quæ-
stio instituitur. l. 1. §. item. 24. ad Scdm. Syll. quia quæstio non
eò instituitur ut factum, id est, crimen, sed persona liquide-
tur, hoc est, ut quærat an accusatus crimen illud commise-
rit, Prosp. Farin. in pr. Crim. lib. 1. tit. 1. q. 2. Emer. à Rosb. in
proc. crim. tit. 5. c. 8. n. 12. Zang. de qq. in proem. n. 33. quod
verum est in delictis, quæ facti sunt permanentis, si verò sint
delicta facti transeuntis, & nulla post se relinquunt vestigia, ut
adulterium, Sodomia, &c. tunc non opus est ut factum pro-
betur, sed si de illo per præsumptiones & conjecturas con-
stet, sufficit, Dn. Theod. in Coll. crimin. disp. 9. §. 9. lit. c. aliq;
ibidem relati.

9. Cognitis delictis vel criminibus ob quæ rei quæ-
stioni subjici possunt, sequitur jam secundum nostri textus
membrum, modum exhibens, quomodo sc. procedendum ut
persona nocens liquidetur, id est, ut constet utrū accusata vel
suspecta persona crimen perpetraverit nec ne: Hoc in note-
scit (1) aut per sufficientes probationes, (2) aut deficienti-
bus illis per torturam ob indicia in suo genere urgentia; Pro-
batio debet esse liquida & clara per l. fin. C. de probat. ex solis
enim præsumtionibus in criminalibus nemo damnari debet,
arg. d. l. fin. l. 4. C. de edend. l. 16. C. de pæn. junct. l. 1. C. ad L.
Corn. de Sic. l. 5. C. de injur. Menoch. l. 1. Resumpt. 97. n. 19.

10. Probatio autem fit per examen testium idoneo-
rum, & quidem omni exceptione maiorum, nam sicuti in cri-
minalibus probationes, evidentiores, l. fin. C. de
prob. ita & testes magis idonei ac integri esse debent, c. testi-
monium ext. de test. Wesenb. n. eod. n. 3. & propter gravitatem

Cri-

Criminalium rerum, ab ipso iudice examinatio fieri receptum est, quod adeo verum, ut, etiam si testes in alterius territorio sint, alteri committi non possint, *per auth. apud eloquentiss. C. de fid. instrum. novell. 90. c. 5. l. 3. §. idem divus. 3. ff. de testib. Clem. unic. de off. & potest. jud. Gail. lib. 1. observ. 96. n. 10. Jul. Clar. §. fin. q. 26. vers. sed. quaro. in Sent. Crim.*

11. Deficientibus vero probationibus ad indagatio- nem veritatis per tormenta accedimus, alioquin si iudex post habitis illis, facile ad quaestionem profliret, faceretque male reum ponere ad torturam, ex Syndicatu tenebitur, *Clar. dicto §. fin. q. 64. n. 9.* quandoquidem nemo nisi in defectu reliqua- rum probationum torquendus est, *l. 8. §. 1. & l. 12. C. de quest. Hyppolit. de Marsil. in pr. crim. §. nunc videndum. n. 23.* cau- rus ergo sit iudex, ac omnia, antequam ad hunc probationis modum descendit, experiatur, atque hic textus nostri verba monstrant, observatis nimirum iudiciis in suo genere urgen- tibus & verisimilibus, ita ut sola confessio deesse videatur, *l. 1. ff. eod. Hyppol. de Marsil. cons. 63. n. 13. Zang de qq. c. 2. n. 7. Menoch. arb. jud. qq. lib. 2. cas. 270. Farina. in pr. Crim. lib. 1. tit. 1. q. 2. n. 6.* ubi vero nulla praecesserunt indicia, & reus ni- hilominus tortus fuit, ipsius confessio nulla erit *l. pen. ibid. Barr. & ult. ff. b. r. Roland. à Valle consil. 31. n. 8. & 11. Go- mez. 3. resolut. c. 13. n. 20.* quamvis ad banc cum juris ratificata fuerit *gl. est in d. l. pen. ff. d. r.* Hyppolit. de Marsil. in *prac. crim. §. occurrit. per tot.* quibus hodie accedit Constit. Cri- min. Carol. 5. sub Rub. *Das ohne redliche Anzeigung niemond peinlich gezragt werde / verb. Und ob auch gleichwol aus der Marter die Missethat bekant würde / so sol doch der nicht geglaubt werden / imò quamvis rei confessionem sequerentur indicia postmodum legitima, nil ominus tanti non erit confessio illa, ut reum condemnari faciat, arg. l. 129. l. 220. de R. J. Bocer. de tot. c. 3. n. 11.*

12. Sequitur porro ut sciamus quid sit indicium, quotuplex, quale seu quot sufficiant ad torturam? indicium est medium intellectuale veritatis eliciendæ, ex ali- qua circumstantia singulari exurgens, *per l. indicia. 19. C. de*

B

R.

R. V. c. cum causam. 13. d. probat. Damhoud in prax. crim. c. 10.
Dividitur in generale, id est, à veritate remotum, in veritati
propinquum, hoc est, semiplenum, & in veritati propin-
quissimum, id est, plenum & indubitatum, *Damhoud. in pra-*
crim. c. 36. n. 11. aliter verò distribuit *Ampliff Dn. Theod. in*
Coll. crim. disp. 9. th 9. lit. b. vimirum in indicium certum,
quod ad probationem indubitatum, & luce clarius dicitur,
per l. 19. C. de R. V. l. fin. C. de prob. & verisimile vel probabi-
le, ex legis nostræ § primo C. de qq. Hæc sunt vel commu-
nia omnibus delictis, vel sunt propria quibusdam, at-
que tantum de uno delicto præsumi possunt, quibus
de jam ordine acturi sumus.

13. Textus in paragraphi nostro requirit, ut ad tortu-
ram suadentibus indiciis perveniatur, & quidem ea propter,
quod tortura sive quæstio non modo sit res fragilis &
periculosa & quæ veritatem fallit, nam plerique pa-
tientia sive duritia tormentorum ita tormenta conte-
mnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit, alii
verò tanta sunt impatientia, ut quovis mentiri, quam
tormenta pati velint, atq; ita fieri potest, ut vario mo-
do fateantur; ut non modo se, sed & alios cõminentur,
sicuti prudenter differit Jurisconsult. Ulpian. in l. 1. §. questio-
23. ff. b. t. Sed & insuper magni præjudicii res est, quæ cor-
pus dilacerare solet *l. 15. §. 41. de injur.* unde meritò, ubi agitur
de magno præjudicio, cautè agendum, *innuentib. text. in l.*
Carbonianum. 3. §. dñe. 5. de Carb. Edict. c. ubi delictum. de
Elect in 6. Proptereaque sanè judex omnes circumstantias
diligenter perponderare debet. Etenim quia in jure de
omnibus indiciis, quæ in quolibet delicto sunt verisimilia, ex-
pressum non est, discretioni & arbitrio judicis id, quæ nimi-
rum aut dignum aut exemptum tormentorum discussione
reum faciunt, relinquatur, *l. 3. §. ejusdem 2. in fin. de test. l. 1. §.*
2. de effract. Bart. in l. fin. C. de qq. Clar. sent. crim. lib. 5. fin. q.
64. n. 13. ita tamen ne tale arbitrium vel discretio judicis ju-
ri ac æquitati sit contraria, id est, ut judex habeat conscien-
tiam

tiam Legis & Cannonis publicam, uti probat c. *judicet. 3. q. 7. junct. gl. Damhoud. in prax. Crim. c. 36. n. 5.*

14. Possunt autem indicia secundum tria tempora considerari; Præteritum, Instans & Consequens, *Blanc. in l. fin. C. h. r. n. 66.* ad præteritum quod animum habuerit delinquendi: e. g. Si commoverit quis amicum vel alium quendam, ad assistentiam, vel dixerit verba alia, ex quibus iudex istud arbitrari potest, *Blanc. d. l. fin. n. 88. Angel. ad eund. l. C. de qq.* sic similiter præmeditationem arguunt, **Wenn etwa zu frembden Schloßern Schlüssel / oder sonst derselben ungewöhnlich gemacht werden / oder instrumenta, damit man Diebstahl begehen könne /** hoc modo si de furto commisso constet, conditioque personæ conjecturas admittat, ex factis æque atque ex verbis arguitur hominis animus, *l. de quibus. ff. de LL. § l. Paulus. Rem. rat. haber.*

Ad instans tempus refertur modus percutiendi, ex quo modo quidem oritur indicium, sed purgatur, si quis percusserit cum hasta, vel poma, quando potuit percutere cum ense: tunc enim non præsumitur animum occidendi habuisse.

Ad consequens tandem tempus pertinet, si quis cum gladio evaginato, sanguinolento fugerit, & reperit mortuo in loco à quo aufugit, de cujus elisione *vid. Novell. in tract. defens. in q. An indicia pro reo sint danda, n. 144.*

15. Quia verò nonnumquam indicium solum, nonnumquam cum aliis conjunctum demum sufficere solet, videbimus qualiter unum indicium, & quæ aliàs sint sufficientia, ita ut iudex legitime reos possit ponere ad torturam: indicium unicum sufficit, modo verisimile ac veritati sit propinquum, *gl. in l. maritus 20. verb. precedente indicio. ff. b. t. de qq. § l. si quis. C. ad L. Lul. Majest. verb. indicium Domini. Damhoud. in prax. crimin. c. 26. n. 28 & 29. Jul. Clar. aurem aliter in eo sentit, quod etiam sufficiat unicum, quamvis à facto sit remotum, lib. 5. sent. crim. q. 64. in pr. sed vix est ut hoc subsistat, indicium quod à facto est remotum, non est verifi-*

mile, jam ubi tale non est, ibi quoque non aperitur janua ad
quæstionem, per verba text. nostri in l. 8. §. 1. C. de qq. aliter
etiam dissentit Marsil. §. diligenter. pr. crim. n. 177. perhibet
quoque Constitutio Carol. Criminal. quædam indicia,
sub art. 29. quorum unicum per se solum ad quæstionem suf-
ficit.

16. Tale indicium etiam puto esse taciturnitatem ju-
dicialem, cum nimirum accusatus de crimine contumax in-
veniatur in respondendo, propter quam aliis indiciis remotis,
rectè torturæ reus subjici potest, probante c. si is 2. de accus. &
inquis. in 6. & l. qui tacet. 142. de R. 7. Zang. de tort. & qq. c. 2.
n. 108. Jul. Clar. q. 45. §. fin. vers. sed pone. Bocer. de qq. c. 3. n.
39. Secus verò erit si extrajudicialis fuerit taciturnitas, &
tunc sicuti confessio extrajudicialis regulariter per se non fa-
cit indicium ad torturam, arg. text. in l. quero 58. §. fin. de adil.
edict. cum l. 1. §. divus. 17. de qq. l. cum scimus. 22. C. de agr. &
censit. Bocer. d. loc. n. 24. ita quoque si extra judicium non
responsum fuerit ad quæsitum, nè secundum vulgatum, plus va-
leat tacitum quam expressum, quia expressa nocere dicuntur,
non expressa verò non item l. expressa. 195. de Reg. 1. Dissent.
Marsil. Pr. Crim. §. diligenter. n. 136. quem sequitur Menoch.
arb. jud. qq. n. 5.

17. Sed huc non pertinet confessio Socii criminis, &
quod ejusmodi confessio non faciat indicium ad torturam,
vel ex eo manifestum est, quia indicium quod neque veritati
propinquum, neque semiplenam facit probationem, ad tor-
turam sufficiens non est. l. 8. §. 1. C. b. t. Bart. & Dd. in l. fin.
de in lit. jur. Wesenb. n. d. t. n. 7. jam is qui eodem crimine
infectus non modo sed & convictus, infamis efficitur, eaq;
propter testimonium tale vel ejus confessio neutiquam noci-
va est reo, l. 3. §. lege jul. 5. l. 20. de testib. & per consequens ne-
que indicium ad torturam ex illa orietur: Deinde plus quam
manifestum est, unum testem per se non facere indicium ad
torturam, l. 1. §. 4. l. 20. de qq. l. 9. C. de testib. Bocer. de tort. &
qq. Menoch. arb. jud. qq. lib. 2. cent. 5. cas. 474. n. 42. aliq;
ibidem relati, meritò ergò quoque rejicitur scelerati hominis
testimonium, quod in super voluit Constitutio Criminal.

Ca-

Carol. 5. art. 31. verb. So fern bey solcher Besagung
nachfolgende Umstände gehalten vnd gefunden werde/
*Dissent. de jur Civil Bald. consil. 476. lib. 5. Cravet. consil. 287.
n. 7. Gomez. 3. resol. c. 11. n. 17.* quæ præcedentia neque pro-
pterea invertuntur, quando reus convictus, confessusque no-
minans criminis socios, se ad veritatem loqui, juramento
confirmat, quia reus de crimine convictus infamis est, ut &
jam paulo antea dictum, ideoque in præjudicium tertii reli-
gione jurisjurandi indignus, *Dissent. Hyp. de Mar. §. diligen-
ter. n. 62. Boc. c. 3. n. 46.*

18. Pari modo non facit indicium ad torturam suffi-
ciens, dictum seu assertio vulnerati & in articulo mortis
constituti, etenim quemadmodum unus testis nihil probat,
neque semper semiplenam probationem facit, *l. 9. C. de test. l.
1. §. 4. § l. 20. de qq.* & sicuti in propria causa nemo idoneus
testis, *l. 10. C. de test.* ita & hic in articulo mortis constitutus,
& quidem multò minus inimicus testimonium docebit, ubi
ergò verisimilis suspicio non est, ibi & ad torturam temerè
proceditur, *per text. in §. nostro l. 8. C. de qq. cui consentit
Jus Ulpianus in l. si quis. 3. §. 1. ad Stum Syl.* & si contrarium
obtineret, sapè fieret, ut innocens interdum quæstioni sub-
jiceretur, etenim moriens errare potuit, ut rectè animadver-
tunt, *Jul. Clar. Sent. crim. §. fin. q. 21. vers. assertio vulnerati,
Anton. Gomez. var. resolut. 3. c. 13. n. 16. Blanc in l. fin. C. h. t.
Par. de Put. in tract. de Synd. verb. tortura. n. 9.* atque hoc ad-
eò verum censent, ut quamvis summa Eucharistia assevera-
set, nihilominus indicium insufficiens esset, de quo & *Möller.
semest. 3. c. 8.* ubi dicit, se nunquam vidisse ad assertionem,
qualiscunque etiam morientis torturam alicui dictatam fuisse,
ab his quoque non abhorret *Const. Carolin. Crimin.
art. 25. §. Zum Sechsten / ibi, So ein Verletzter oder
Beschädigter aus etlichen Ursachen der Missethat selbst
zeigt / darauff stirbt / vnd bey seinem End beschweret / 27.
Dissent. Hyp. de Mar. d. loc. §. diligenter. n. 117.*

19. Neque fama per se sola facit indicium ad torturam, quia præterquam quod fragilis ac periculosa res sit, Hyp. de Marsil. in prax. crim. §. diligenter, n. 18. Damhud. in prax. crim. c. 36. n. 24. & Pontifex in c. 12. de purg. Canon. qui ibi sic loquitur, cum ad dictum unus facile consueverit sequi multitudo; ideò facile sine aliis illi non inhærendum: etiam argumentum ex l. 3. §. vers. alias veluti ff. de testib. depromitur, vide plurib. Jul. Clar. 5. sentent. q. 21. §. fin. n. 1. Dn. Petr. Theod. in Colleg. Crim. disp. 9. th. 9. lit. b. Bocer. de tort. §. 99. c. 3. n. 27. aliosq; ibid. relatos. Dissent. Gomez. & quos refert. 3. resol. c. 13. n. 10.

20. Simile iudicium rectè perhibetur de illo casu, quando præsentem homicida cadaver sanguinem emittit, quavis quidem Menoch arb. jud. qq. lib. 2. cent. 3. cas. 270. num. 16. Gomez. var. resol. 3. c. 13. n. 15. Hyp. de Mars. in pr. cr. §. diligenter. n. 181. exemplis ob firmare contentur, attamen vicissim sæpius ejusmodi indicium fefellisse, experientia satis docet; & quidam Auctorum prædictorum tantum tali profluvio non tribuunt, ut sufficiens faciat indicium, quare si veritas aliter inquiri nequit, sanctius est (quia tortura res præjudicii gravissimi, & mors sæpius sequi solet) nocentem dimittere, quam innocentem damnare. l. absentem. 5. ff. de pæn. Gomez. 3. resolut. c. 13. n. 15. Est enim ad motum remota ratio à veritate, ob quam sanguis fluit, nimirum, uti à quibusdam, anticipata inter homicidam & interfectum, refertur, possunt & alia exire, à quib. ille cruoris effluxus dependet, ut proinde præsentia homicidæ ad hunc effluxum nil faciat, nec consequenter verisimile indicium ad torturam, secundum nostræ l. 8. §. 1. postulatum, Hyp. de Mars. in pr. Crim. §. diligenter Pet. Heig. p. 2. q. 39. n. 97. Magnif. Dn. D. Arumæ. Promotor ac fautor singulari modo observandus. exerc. 20. thes. 14. Amplif. Dn. Theod. in Colleg. Crim. disp. 9. th. 9. lit. b.

21. Propter hæc, quæ hætenus exempli loco allata & similia indicia, nimirum ob testimonium ab incantatore sumtum, l. item Labonem. 15. §. 13. de injur. Brun. de indit. p. 1. q. 3. n. 35. & 36. ob fugam, &c. reus torturæ vel quæstioni sub

subjici nequit, per text. in l. nost. §. 1. C. de qq. quia non solum fuga ob crimen, sed etiam aliam ob causam videlicet, ne vel de facto adprehendatur, falsis testibus vincatur, & morte mulctetur, Bocer. de qq. c. 3. n. 32. Emeric. à Rosb. in process. crim. c. 4. tit. 5. vel periculo se exponat, & ex carcere temerè innocentiam probet, suscipi potest, vid. Gait. 2. observ. 109. n. 7. & 8. Consentit & Constit. Criminal. Carol. 5. art. 27. junct. 28. verb. Derselben argwöhnigen Theil oder Stück ist keins allein zur redlichen Anzeigung / dar auff peinlich Frag mag gebraucht werden / gnugsam. Dissent. variè distinguendo Zang. de qq. c. 2. n. 35. Menoch. 1. presunt. q. 89. n. 36.

22. Jam pauca quoq; de indiciis delicto propriis subjicienda veniunt, hætenus quæ dicta fuerunt, communia sunt omnibus: Singularia igitur perhibentur indicia Furti, singularia Maleficii, singularia Adulterii, stupri, &c. Furti indicium, si alia adminicula adsint, facit, si quis exire visus fuerit noctis tempore è domo, in qua furtum commissum constat, secus verò deficientibus aliis indiciis, argumento est l. verum. 39. de furt. sicuti enim ab alio furtum fieri, ita & ob aliam causam quis nocturnum tempus usurpare potest Brun. de indit. p. 1. q. 3. n. 4. quamvis quidem aliàs jura malè contra eum qui noctis tempore ambulat, præsumant, arg. l. furem. 9. ad l. Corn. de sic. l. ul. de effract. Blanc. de indit. n. 419. Menoch. de presunt. lib. 5. 31. n. 10.

23. Indicia sufficientia Maleficii ad quæstionem exhibet Constit. Crimin. Carol. 5. art. 44. ibi, Wann jemand sich erbeut andere Menschen Zauberey zu lehren / (2) oder jemand zu bezawern betrawet / vnd dem Betrawten dergleichen geschicht / auch sonderliche Gemeinschafft mit Zaubern oder Zauberin hat / ꝛ. Das gibt ein redlich Anzeigung der Zauberey vnd gnugsam Ursach
zu

zu peinlicher Frag; horum autem nullum ad condemna-
tionem mortis sufficit, nisi & accedat sagæ propria con-
fessio, Zang. de qq. c. 2. n. 71. Bocer. de tort. c. 79. probant per
art. 22. allegata Const. Crim.

24. Sufficiens indicium non est impositio Sagarum
super aquas, tum quod remotum sit, tum quoque quod ejus-
modi actus juri divino contrarius, quod tentatur Deus, Pin-
gitz. q. Sax. 59. n. 33. Hyppolit. de Marsil. in prax. Crim. §. di-
ligenter, n. 181. Bron. de tort. p. 1. 3. n. 35.

25. Adulterii verò vel stupri sufficiens indicium fa-
cit, si solus cum sola repertus in conclavi quodam clauso, ita
ut mas habuerit resolutas calligas, foemina autem pulsanti
aperire denegaverit, concurrunt enim hinc tria adminicula,
(1) in mare qui calligas resolvit, (2) in foemina quia
ostium aperire noluit, (3) in utroque oclusio clancula, ut
animadvertunt, Menoch. 5. de presumpt. 31. n. 12. Marsil. §. quo-
niam. n. 22. Zang. de qq. c. 2. n. 72. Bocer. de tort. §. qq. c. 3. n.
108. de pluribus aliisque peculiaribus indiciis latè allegati Dd.
item Damhoud. in prax. trimin. c. 26. Gomez 3. resolut. c. 13.
tractant, sufficiant hæc, quæ hætenus exempli loco allata,
& secundæ nostri textus parti applicata fuerunt, plura uti hac
vice proferre non libet, ita & omnia in hac materia enume-
rare impossibile est, sicuti ipsa Const. Criminal. Carol. 5.
confitetur. sub artic. 24. ibi, *Dann nicht möglich ist / alle
argwöhnige vnd verdächtige Fälle vnd Umstände zu
erzehlen / oder zu beschreiben.* Caterum iudicis hinc est,
quæ indicia in suo genere verisimilia & secundum LL. suffi-
cientia apparent, observare, unde duos sales debet habere,
unum Sapientiæ, alterum Conscientiæ, Damhoud. d. loco.
cap. 36. n. 8.

26. Sequitur jam, si adsint indicia, antequam reus
quæstioni subicitur, ex quibus probantur & reo an cõmuni-
centur: Probantur indicia testibus regulariter duobus, per
l. ubi 2. de test. Constit. Crim. art. 23. & 30. Menoch. 1. præ-
sumpt. q. 31. n. 2. Wesemb. π. de qq. n. 7. Clar. 5. sent. §. fin.

q. 64. n. 12. testem verò quidam omni exceptione majorem
immediatè de ipso maleficio deponentem, semiplenè proba-
re, ac reum suspectum ad torturam habilem facere, rectè asse-
runt *Bart. in l. 1. §. idem Cornelio. ff. b. t. Wesemb. π. eod. n. 7.*
Damhoud. in prax. Crim. c. 36. n. 15. à quibus non aliena
quoque est *Const. Carolin. Crim. art. 30.* / ibi, Eine
halbe Beweisung (als so einer in der Hauptsache die
Missethat gründlich mit einem einzigen Zeugen beweis-
set/das heist vnd ist eine halbe Beweisung) vnd solche
halbe Beweisung macht auch eine redliche / etc. *Dissen-*
ties de jure civili recenset Menoch. 1. presumpt. 89. n. 11. cui &
accedit Donell. comm. 25. c. 15. Communicanda autem reo
indicia hunc in finem, ut si possit, ea elidat ac legitimè re-
probet *c. qualiter & quando. 24. §. debet igitur. de excusat. Jul.*
Clar. 5. sent. §. ult. q. 49. n. 1. etiam si reus communicatio-
nem non petierit, *per text. in l. si non. 19. de pœn. Johan. Zang.*
cap. 3. n. 3. & 4. de qq. & tort. quod adeò *Menoch. de arb. judic.*
qqbus lib. 1. q. 78. n. 5. verum putat, ut, quamvis iudex ex sta-
tuti forma haberet liberum arbitrium, nihil tamen omni-
us communicanda sint indicia, cum productione testium vel
confrontatione. *Dissentit Clar. Sent. Crim. q. 49. n. 4.* Aliàs
si in termino competente purgare potuerit reus, sine ipsius in-
juria quæstioni non subjicitur, *Angel. de Aretin. in tractat.*
malefic. verb. fama publica, 1. Char. versic. & sic benè. Bart. in
l. fin. q. pen. ff. b. t. Communicatis autem Reo indiciis, pot-
est etiam elidere ea contrariis, quorum varia perhibentur ge-
nera *Menoch. 5. de presum. 48. n. 10.* quæ testibus probanda,
Const. Crim. Carol. 5. art. 47.

27. Hactenus quæ de indiciis dicta fuere, ad secundam
nostritextus partem pertinent; Sequitur nunc ulterius de tertia
parte conditionem personarum, id est, personas, quæ tortu-
ræ subjici possunt, continente dispicere; Impp. in textu sic lo-
quuntur; Etsi his veluti veris indiciis ducti investi-
gandæ veritatis gratia, ad tormenta putaverint esse

C

ve-

veniendum, tunc id demum facere debent, si Personarum conditio patiatur; Tria autem personarum extant genera, quorum conditio torturam non patitur, (1) quoddam genus ob dignitatem. (2) quoddam ob defectum rei intellectus. (3) quoddam ob corporis debilitatem torqueri nequit.

28. 1. Ob dignitatem torqueri nequeunt, Illustrissimi Principes, Illustres Comites, Generosi Barones, *l. divo. 11. C. de qq. l. severam 10. C. de dign. Ampliss. Dn. Theod. in Coll. crim. disp. 9. tb. 10. lit. a.* Olim quidem nondum mutata vel antiquata forma Reip. Rom. alii dignitatum gradus usui fuerunt, alii enim erant ex Ordine Senatorio, illustres, alii Spectabiles, alii Clarissimi, quomodo *ex nullis textibus Cod. & Novell.* demonstrat Bocer. *de tort. & qq. c. 4. n. 30. & seq.* à quibus omnibus etiam quaestio quoque aliena erat, quia hi in dignitate erant constituti, *l. 4. C. ad L. Majest.* Nobiles quoque eximuntur *per d. l. 4. C. ad L. Jul. Maj. & l. un. C. de equest. dignit.* item Doctores, Licentiati, quia etiam nobiles dicuntur *l. 2 §. fin. l. 4. in fin. de excusat. tut.* in dignitate constituti sunt *c. quanto. ext. de Magist. privilegio militari gaudent Wesen. π. b. t. n. 10. & inter egregias personas numerantur, Menoch. arb. jud. qq. lib. 2. cent. 70 n. 9. Damhoud. in prax. crimin. c. 41. n. 1. & milites, per textum nostrum in l. 8. C. de qq.* Secus verò est in ociosis & erroneis militibus, alias *Gart vnd Herrnloseknechte / Hüner vnd Gensediebe / Baurenblacker /* illi sicuti catulus in Sylvis, militare dicuntur, *post Bald. in l. 1. in fin. C. qui bon. ced. poss. Bocer. in tract. de tort. & qq. quemadmodum etiam Scholares vagabundi non solent gaudere privilegii Scholarium, docente Bald. in aurbic. Habit. C. Ne fil. pro pat. ita nec tales milites digni judicantur, militaribus frui privilegiis arg. l. generaliter. § 2. §. 1. C. de Episc. & Cler.* Decuriones insuper, ratione dignitatis privilegiati sunt, ne torqueantur, *ut est in l. fin. ff. de decur.*

l. 18. C. de qq. quale fuit officium ipsorum vid. Wes. n. de decur. n. 1. 2. & 4. & Equites aurei Velleris excusabiles prohibentur Damboud. in prax. crim. c. 41. n. 2. 3. & 4. Excipiuntur autem quædam crimina, in quibus prædictæ personæ non excusantur, de quibus Lodov. Carer. in pract. crimin. tract. de indic. & tort. §. circa tertium, n. 22. & 23. Cæterum prædicta ad eò vera esse & obtinere volunt Doctores, ne consuetudo quidem valeat, qua non minus Doctores, Licentiati, &c. personæ, quam reliquæ torturæ subjiuntur, per text. in l. omnes. ubi Bart. & Dd. C. de decurionib. Ampliss. Dn. Theodor. in Colleg. Crim. disp. 9. & 10. lit. a. nec quisquam præter Imperator: hæc juris privilegia imminuere possit, text. l. 4. C. ad L. Jul. Maj. l. 10. de qq. Welenb. n. eod. n. 10. de plurib. Jul. Clar. 5. sent. §. fin. q. 50. alii aliter sentiunt. vid. Rebuff. in auth. habita. verb. Pro sess. C. ne fil. pro pat.

29. II. Ob defectum rei intellectus eximuntur (1) Impuberes, ut est text. in l. 10. l. 15. §. 1. ff. de qq. verum quia differentia inter impuberes existit, nimirum inter illos qui quæbertati proximi, & qui infantia proximi sunt §. 10. ff. de inutilib. stip. videndum an ad quemlibet horum extensio privilegii faciendâ sit? & putamus hic inspiciendum esse, quinam doli sint capaces & crimen committere possint, & qui doli capaces non sint; de illis exceptio seu privilegium intelligi debet, de his minimè, nec etiam opus est, quia sicuti non quarimus de obligatione infantis d. §. 10. ff. de inutil. stip. cum intellectum non habeant, sic nec de delicto, animum enim dolosum non habuerunt. Cæterum quamvis impuberes doli capaces torqueri nequeant, i. e. ad eundem modum ac formam quâ reliquæ personæ, attamen terreri non prohibentur, l. 1. §. 33. ad Syllan. Gomez. 3. resolut. c. 13. n. 3. Zang. de qq. c. 1. n. 36. Jul. Clar. 5. sent. crim. §. fin. q. 60. n. 21.

30. Excusantur & furiosi, textus est in l. 3. §. 11. ad Syllan. quippe furor inducit mentis exilium ob quod, si quis crimen commiserit, est, ut pœnam haud mereatur, l. omne de re milit. unde nec torturam, aliàs enim frustranea futura

foret, cum hæc ea propter instituat, ut crimen reus confiteatur, posteaquam puniatur, *Wesenb. π. de qq. n. 12.* quod idē est, licet crimen perpetraverit tunc ubi adhuc sanæ mentis erat, forore postmodum superveniente excusatus erit, quia satis ipso furore punitur, *l. 14. in pr. de off. Pres. Ampliss. Dn. Theodor. Promotor perpetim colendus, in Colleg. Crim. disp. 9. th. 10. lit. b. Bocer. de tort. & qq. c. 4. n. 10. Dissent. Gomez. 3. resol. c. 1. n. 72.*

31. Hucverò minimè pertinet prodigus, qui, quamvis ad rerum administrationem non videatur habere intellectum, proptereaque contrahere prohibeatur, *l. 6. de V.O. & l. 40 de R. 7. quia pupillis. l. 12. §. 2. de Curat. dat. ab his. & c. l. 7. §. 11. 12. quib. ex caus. in poss. eat. l. 9. §. 7. de Reb. Cr. & furiosis æquiparatur l. 1. in pr. de Curat. furios. hoc in delictis tamen aliter se habet, d. l. 12. §. 2. de Curat. dat. ab his. & c. etenim ibi Jurisconsultus, quo ad administrationem prodigum habere furiosum exitum, asserit, si hoc verum, utique in delictis aliter se res habebit, *arg. l. 12. de judic.* unde illum tam pecuniaria quam capitali poena plecti posse rectè asseritur, *Jul. Cla. 5. sent. §. fin. q. 60. n. 11. Gomez. 3. resol. c. 1. n. 75. & per consequens persona liquidari poterit.**

32. Prodigum autem talem nominamus, qui auctoritate magistratus, sive ipsius decreto talis declaratus est, *l. 1. de Curat. fur. l. 10. 15. & 16. eod. l. 3. C. de restit. in integr.* quia cum in thesi loquuntur, idē necesse ut non modo accedat cognitio an hic vel ille abutatur suis rebus, sed etiam ne administratio temerè alicui auferatur, decretum judicis requiritur, *l. 12. de his qui sunt sui vel alien. jur. Cujac. ad l. 6. de V.O. Hil. lig. Donell. lib. 12. c. 22. lit. f.*

33. III. Ob virium corporis defectum à tortura seu quæstione excusantur (1) Senes *l. 3. §. 7. ad Sillan.* nimirum delirantes, memoriæ vitiis multum, & corporis imbecillitate laborantes, *Damboud. in prax. crim. c. 41. n. 5. Anton. Gomez. 3. resol. c. 13. n. 31. Bocer. de qq. c. 4. n. 22.* (2) mulieres prægnantes, *l. 3. de pæn. ne calamitas matris, ei qui in utero est, noceat, §. 1. J. de libert. Sed servetur partus integer l. 18. de:*

de stat. hominum. neque refert à proprio an verò adultero viro
imprægnata sit mulier, *Damboud. in pr. cri. c. 41. n. 7. Gomez.*
3. resol. c. 13. n. 4. quod etiam verum est post partum infra
tempus, in quo debilis adhuc ad torturam, ne mors sequatur.
Gomez. d. loc. Hyppol. de Mars. in prax. Crim. §. nunc viden-
dum, n. 47. non enim ut sapius dictum torturæ finis est ene-
care corpus, sed veritatem elicere, *l. 8. §. nec 3. de pæn. We-*
semb. π. b. t. de qq. n. 12.

34. Rei veritate jam, si inditia adfuerint conditioq;
personæ torturā admiserit, indagata, reus aut innocēs, absol-
vendus est, *l. fin. verb. quo absoluto, de Calum. l. 1. §. 3. ad Turpill.*
& quidem definitivè, *d. l. fin. de Calum. Const. Crim. Carol.*
5. art. 61. Gomez. 3. resolur. c. 13. n. 28. (modo non suspectus,
quod vel ob ferocitatem, vel adminiculæ artis magicæ tortu-
ram passus est, repertus sit, tunc enim si non planè indicia
vel aliæ suspiciones cessent, ab observatione indicii tantum
& carcere, sub Upheda absolvitur, de quibus latè Ampliff. ac
Jurisconsultiff. *On. Theodor. in Colleg. Crim. disp. 10. thes. 4.*
lit. q.) Reus autem contra actorem pro damno & infamia
habet actionem, iudex quoque si injuste illum torqueri fece-
rit, impunitus non relinquitur, *Jul. Clar. 5. sent. q. 64. vers. si*
iudex. *Hyppol. de Marsil. in prax. Crim. §. expedita. n. 89.*
Zang. de qq. in proem. n. 5. Welenb. π. b. t. de qq. aut nocens,
tunc puniendus venit, pro ratione & qualitate commissi de-
licti, *de quib. Welenb. π. de pæn. Cujac. ib. observ. 1. Gail. 2. pac.*
pub. 1. n. 24. hoc tamen intellectu, ut reus in ipso torturæ
actu delictum confessum, extra locum torturæ ratificet con-
fessionem, si scil. biduum aut longius tempus in ea perseve-
raverit, *l. 2. C. de Custod. reor. Constit. Crim. Car. 5. art. 65. ver.*
ult. ibi. Der Gefangene sol auch zum wenigsten vber den
andern Tag/ nach der Marter/ vnd seiner Bekântnus
nach gut Bedencken des Richters in die Büttelstuben
oder ander Gemach/ für den Banrichter/ vnd ihren zwe-
nen des Gerichts geführt / vnd ihm sein Bekântnis
durch den Gerichtschreiber fürlesen / vnd dann ander

C iij weit

welt darauff gefragt / ob sein Bekenntnis wahr sey /
Revocantem autem confessionem, apparentibus certis in-
diciis, exploratisque omnibus causæ circumstantiis, in car-
cerem reducere licet, ut quæstio repetatur, nisi reus tales suæ
revocationis habuerit causas, quibus iudex erroneam confes-
sionem animadvertere potest, *Constit. Crimin. art. 57. ibi. So-
der Gefangene / 2c. Bocer. de qq. & tort. c. 5. n. 38.* aliàs
reus illis destitutus repetitionem ad torturam non effugiet,
quemadmodum etiam nec tunc, si præter primæ confessionis
revocationem, altera vice tortus, crimen confessus fuerit, rur-
sus etiam hac vice confessionem revocaverit, à tortura salvus
erit, atque sic ad tres vices torqueri potest, novis sc. urgentio-
ribus primis iudiciis apparentibus, *per l. 18 §. 1. ubi Bart. &
Dd. ff. h. t. Jul. Clar. in Pr. Crimin. q. 21. n. 36. Hyppol. de Mar-
sil. in Prax. Crim. §. quoniam. n. 4. & 5. Antonius Gomez. 3.
resolut. c. 13. n. 27.* Quamvis verò uti hæctenus dictum reus
nocens damnandus sit. tamen contingit interdum ut crimen
abolitione tollatur, quæ triplex perhibetur, *l. 8. 9. & 10. ad
Sctum Turpill.* (1) publica, quæ fit in diem insignem, &c. (2)
Legalis, propter mortem contingens, (3) privata, postulan-
te vel reo vel actore, *de quib. Welemb. π. d. 1. n. 10.* Verum
quia vice hæc ulterius in hanc materiam inquire non lubet,
hic subsisto.

DEO summa sit sempiterna
gloria.

COROLLARII LOCO HÆC
SUNTO.

I. Constitutio in *l. si quis in tantam 7. C. unde
vi. quâ vi rem propriam apud alium constitutam occupans
Dominio cadit, alienam verò, præter rem ejus quoq. estima-
tionem restituere cogitur, sicuti in us esse non desit, ita*
(II.)

(II) privator ex d. l. 7. non ipso jure, sed sententia judicis dominium amittit, *Salicet. in hac. l. 7. Menoch. de recup. poss. remed. 9. q. 48. n. 305. quod non fisco, sicuti Jacob. Cujac. arbitratur, quem Heig. §. recuperanda. 6. n. 4 l. de interdict. laudat*, sed privato vim passo applicandum est, *arg. l. final. de l. tigios.* (III.) Quamvis autem hæc Constitutio in l. 7. generaliter in omnes, qui possessionem invaserunt, concepta esse videatur, tamē quædam personæ eximendæ sunt, (1) propter deficientem intellectum *arg. l. divus. 14. de off. Pres.* (2) Ratione officii Magistratus, *l. quod Reip. 33. de injur. l. Grassus. 4. C. ad L. Jul. de Adult.* (3). Propter Magistratus absentiam, id est, quando Magistratus copia haberi nequit, tunc invalor hoc modo non punitur, *per l. 1. C. quand. licet unicuiq. sin. jud. se vind. Menoch. de recup. poss. remed. 9. q. 3 n. 36.* (4) Propter reverentiam, parenti ex hac Cōstitutione, rē filii invadenti haud quicquam inferitur, quia illius famam & honorem filiis parcere convenit, *l. non debet 11. §. 1. de dol. malo. l. 2. l. 5. de obseq. parent. præstant. add. Donell. in d. l. 7. C. und. vi. n. 10.* Secus est in filio ipso possessore propria authoritate de bonis adventitiis, quorum parens usumfructum habet, deiciente, bonaque occupante, etenim perinde, ac alius privator bona amittit, *per Const. d. l. 7. C. und. vi. Dissent. Communiter Dd. Bart. in sepè d. l. 7. n. 12. ibiq. Donell. n. 14. C. eod. Covarr. lib. 2. variar. resol. c. 8. n. 7. Menoch. d. loc. q. 7. n. 65. aliq. plures.*

AD

AD
Præstantissimum ac Doctissimum,
DN. ELIAM AUGUSTINUM
HUFLENUM U. J. C.

De tortura reorum, pro adipiscendis Insignibus Do-
ctoralibus disputantem, suum amicum &
cognatum dilectum.

UT pateat verum, sceleris, præeuntia signa,
Esse reum, quemcunq; notant, hic subdi-
tur atræ

Torturæ, populi suadente jubente salute.
HUFLERE, ut pateat verum & tua splēdida virtus,
Censuræ subdis torturæ lemmata doctæ
Hoc suadent avidè quos tu venaris HONORES,
Hi profint patriæ, tua laus exfurgat in altum
Invidiâ quamvis rumpantur viscera turbæ.

gratulabundus scribebat

Hartungus Schaff
Francohusanus.

F I N I S.

ULB Halle

3


005 132 665



V017







DEO FAVENTE,
Ex
DECRETO NOBILISSIMI AC
AMPLISSIMI COLLEGII JURIDICI
IN FLORENTISSIMA ACADEMIA
JENENSI,
DISPUTATIONEM
INAUGURALEM
ad paragraph. prim. leg. 8. C. de
QUÆSTIONIBUS,

Præsidente

Viris Magnifico, Amplissimo ac Consultissimo
DN. ORTOLPHO FOMANNO,
J. U. D. Juridicæ Facultatis P. publico,
Ordinario, & p. t. Decano Spectatissimo, nec
non Judicii Provincialis & Scabinatus ibidem.
Assessore meritissimo, Promotore & Præceptore
suo colendissimo

*Pro consequenda LICENTIA, ritè assumendi Insignia
ac Privilegia UTRIUSQUE JURIS DOCTURÆ in
Jureconsultorum auditorio propositurus est*
ELIAS AUGUSTINUS Gueffler/
Francohusanus Thyrig.

ad diem proximum Jovis, qui est 22. Decemb.

JENÆ

Typis JOHANNIS BEITHMANNI,
ANNO M. DC. XXV.

1625, 1
u 18